

AB

42 $\frac{7}{K, 7}$



V. 1015 — alt. n. 297


1) - 3) Clypeus, D.

000

P. IV. 40.

12





DE STUDIO
THEOLOGICÆ RE
Etè inchoando,

DAVID CHY.
TRÆVS.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO. M. D. LXII.

Οὐτε θεὸν γνῶναι δάματα βροτῶς, οὔτε διὰ
δάσκηρ,
ὅσις ὀδὴ κητῶν μὴ θεὸν αὐτὸν ἔχει.
ἄξις, σὺ οὖν με δίδασκε, πατρὸς λόγε
ἰδίοιο,
οὕτως γὰρ δάμαμα σοὶ χαρίεντα λέω
γῆρ.

Δάβιδ χυζαῖος.



AB 42 7/117

DOCTISSIMO VI-
RO, M. PETRO AGRICOLÆ
VLMENSI, AMICO SVO
CARISSIMO

David Chytræus, S. D.



EMInisti gravissimam
de veris & solidis ami-
ciciæ Christianæ vincu-
lis, D. Ieronymi senten-
tiam. Vera est illa necessitudo, &
Christi glutino copulata, quam non
utilitas rei familiaris, non præsentia
tantum corporum, non subdola &
palpans adulatio, sed Dei timor, &
diuinarum scripturarum studia con-
ciliant. Nullū enim vinculum ad con-
iungendos bonorum animos arctius
est communi Spiritu Christi, et studi-
orum ac voluntatum similitudine et
consensu. Etsi igitur longo temporū
et locorū intervallo disiuncti sumus,

A 2 tamen

EPISTOLA

tamen ex literis tuis, summa graui-
tate, & prudentia, & fide erga me
ac beneuolentia plenis intelligo, te
coniunctionem inter nos, ante aliquot
annos, studiorum societate initam,
constanti iudicio tueri & conserua-
re. Tuæ autem in me voluntati pro-
pense, vicissim meum erga te amo-
rem, & obseruantiam, pariter equa-
literq; respondere, non ignoras. Cuius
vt $\mu\eta\kappa\mu\acute{o}\sigma\omega\rho$ aliquod & testimoni-
um publicum nunc haberes, inscribe-
re tuo nomini hanc Orationem volui,
quam de optima ratione & via in-
grediendi studium Theologiae, supe-
riori æstate, in hac Baltici litoris Sa-
reptula recitavi. Teq; oro, vt tenuem
hanc & exilem mei erga te studij &
officij significationem, nõ aspernere.
Etsi enim tibi viro sapienti, & do-
cto, & in aula ac Scholis, magna cū
laude

DEDICATORIA.

laude & fœlicitate in alijs erudien-
dis versato, nulli vsui esse oratio ista
potest, tamen cùm καρίτωρ τὸν θυμὸν
ἄριστον esse sapientes prædicent, non
dubito animum meum tibi probari.

Fortassis etiam profuturæ sunt
hæ admonitiones quibusdam iuniori-
bus, qui per ætatis & iudicij inopi-
am, sine certa ratione & ordine, in
studiũ doctrinæ Theologicæ ingres-
si sunt. Hos enim non modo viam et
rationem inchoandi studij, verume-
tiam amplitudinem doctrinæ, quam
primis saltem labris degustarunt, &
difficultatem summam, & Varieta-
tem artium, linguarum historiarum,
& certaminum Spiritualium, quæ
ad cœlestis doctrinæ cognitionem &
explicationem eruditam necessaria
sunt, sæpè & attentè considerare
prodest, ut extirpata ex animis inani

EPISTOLA

doctrinae persuasione, & arrogan-
tia iuuenilibus ingenijs usitata, cogi-
tent singulari auxilio Dei, pijs &
ardentibus uotis quotidie imploran-
do, & longi temporis diligentia, in-
tentione, assiduitate & usu, ad me-
diocrem Theologiae cognitionem pa-
randam, opus esse. Verissimum est
enim quod Menander ait: ΝΕΟΣ ΨΩΡ
ἔδοκασεν μὲν, ἐφρόνας δ' οὐδέπ.

Et doctissimum virum Iohan-
nem Capnionem dixisse accepimus,
Eos, qui IV R I S studium susce-
pissent, primo anno, cum elementa
eius doctrinae, & primorum aliquot
titulorum descriptiones & partitio-
nes delibassent, omnium sibi Iurisper-
itissimos videri, nec vllum casum
adeo difficilem & intricatum esse,
quem non existiment se erudite &
aptissime decisuros esse. Postea vero
quam

DEDICATORIA.

quàm paulò altius Legum disputa-
tiones, & causarum uarietatem in-
trospexissent, in dubium eos de sua
sapientia venire, & multò uerecun-
dius de se ac timidius existimare.
Tertio autem anno, cùm immensum
illud pelagus opinionum controuer-
sarum ac scriptorum, & infinitas ac
plenas dissensionum, etiam inter do-
ctissimos, disputationes ingressi es-
sent: planè eos omnem suæ doctrinæ
& prudentiæ persuasionem, prius a-
nimo conceptam abycere, ac tum pri-
mum, inquit Capnio, feliciter discere
incipiunt. Quod etsi de Iuris studio
ille, ioca & seria miscens, sapienter
pronunciauit: tamen non dubito, mul-
ta etiam bona ingenia, quæ in Theo-
logiæ uel artis Medicæ, uel aliarum
doctrinarum studia ingrediuntur,
idem quotidie experiri.

EPISTOLA

Fiunt autem omnia studia facilia
ora, certo ordine & velut via discen-
di monstrata. Hanc quia multi in
magnarum artium professiones tem-
merè irruentes, & sine ordine in ijs
vagantes negligunt, paucissimi ad
solidam doctrinam, qua Ecclesiae &
Reipublicae magno vsui & ornāmē-
to esse possint, perueniunt. Itaq; sin-
guli suo loco hortatores esse ad rectis-
sima studia Iunioribus debent, eisq;
viam monstrare, quam in discendo
sequantur, vt aliquo cum suo et Rei-
publicae ac Ecclesiae fructu in doctri-
narum studijs versentur.

Quod munus Deo gratum, &
Reipublicae imprimis necessarium,
Iam magna cum laude iam obire: &
in ditione illustrissimi & optimi
Principis et Domini D. VVOLF-
GANGI

DEDICATORIA.

GANGI, Principis Palatini Rhe-
ni &c. Cælos plantare & terræ fun-
damenta ponere, ex animo lætor : &
filium Dei oro, vt seminarium illud
Ecclesiæ et Reipublicæ, quod tua fi-
de, diligentia & assiduitate in pa-
tria conseritur, educatur, & fove-
tur, clementissimè seruet & regat,
et Umbra manus suæ protegat, ut
multi doctores Ecclesiæ ac regni cæ-
lorum: & Rerumpublicarum, quæ
hospitia Ecclesijs præbent, guberna-
tores idonei, paulò post inde sumi &
velut ex traduce propagari possint,
sicut promisit Esaia 51. Posui uer-
ba mea in ore tuo, & Umbra manus
meæ protexi te, vt plantes cælos, &
fundes terram. Benè & feliciter va-
le. Rostochij, Anno millesimo quin-
gentesimo quinquagesimo octauo.
Die decimo Nouembris, qui est na-
talis

EPIST: DEDICAT:

talis Reuerēdi viri, Doctoris MAR
TINI LVTHERI, quem
ad instauranda Theologicae doctri-
nae studia, & illustrandam Euange-
lij lucē densissimis tenebris antea op-
pressam, DEVS immen-
sa bonitate, hisce postre-
mis temporibus
excitas
uit.

DE

DE RATIONE
STVDII THEOLOGICI

CI RECTE INSTI-
TVENDI.

CVM nulla hominum studia & consilia sint felicia & Ecclesiae salutaria, nisi DEO ea gubernante: & inprimis DE DEO recte disci nihil possit, nisi DEO docente: in initio ardentibus uotis te inuoco Fili DEI Domine Iesu Christe, uerbum & imago aeterni patris & doctor Ecclesiae tuae, proferens ex arcano sinu patris sapientiam Euangelij, supra conspectum angelicę et humane rationis positam, & ostendens quomodo pater agnoscendus sit: Doce & gubernate mentes & corda nostra Spiritu sancto tuo: accede in mentibus lucem doctrinae tuae, quate uerum Deum $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon\varsigma$ et redemptorem nostrum, unam cum patre & Spiritu sancto recte agnoscamus, inuocemus,

DE STUDIO

cemus, & celebremus: exuscita in
cordibus uerum timorem Dei, et fi-
dem, ac obedientiam, cum uolunta-
te tua congruentem: rege & adiuua
labores discendi ac docendi, & om-
nia consilia & studia nostra, ut tibi
grata, & Ecclesiae tuae, nobis & alijs
salutaria, discamus & doceamus, &
gloriam tuam illustremus. Hæc uo-
ta assidue ijs, qui in sacrarum litera-
rum studijs, aliquo cum fructu ueræ
pietatis & eruditionis uersari, & ua-
sa misericordiae, sibi & alijs salutaria,
esse uolent, repetenda sunt.

Cum autem omnium aliarum ar-
tium et actionum humanarum sum-
ma & dignissima, & maximè omni-
bus necessaria sit, ueræ de Deo do-
ctrinae cognitio, & explicatio erudi-
ta: non dubito, plerorumq; in hoc
coetu pietatis ueræ studiosorum uo-
tis, rationem certam & uiam deside-
rari, quam sequentes, facilius & re-
ctius in discenda cœlesti doctrina,
optas

optatum piæ eruditionis fructum
possint adipisci.

Quare cum in hoc prælectionis
nouæ exordio, aliquid omnino præ-
sandum esset; ostendendam esse ado-
lescentibus iudicauit uiam & ratio-
nem ingrediendi studia Theologi-
ca, omnium expeditissimam & ma-
ximè discipulis salutarem; Quam,
aurigæ & currus Israel, seu præcipui
Doctores & gubernatores Ecclesiæ
Dei, & de omnium nostrum studijs,
& de tota posteritate optime meri-
ti præceptores, Lutherus & Philip-
pus, uiua uoce & scriptis publicis
monstrarunt.

Hanc ut adolescentes, cœlestis
doctrinæ & pietatis ueræ studiosi,
rectius perspicere, & uelut normam
in discendo sequi possint; DECEM
admonitionibus seu REGVLIS,
TOTAM ferè instituendi STV-
DII THEOLOGICÆ RA-
TIONEM complectar. Ac ordi-
ne dicam; Primum, de Precatione, à
qua

DE STUDIO

qua singuli labores studiorū quoti-
die ordiri debemus. Deinde de Tex-
tu sacrarū literarum assidue & atten-
tē legendo. Postea de corpore do-
ctrinæ seu locis Theologicis studio-
sē cognoscendis. De linguarum stu-
dio. De præceptis artium dicendi
& imprimis Dialecticæ, & de exer-
citijs Disputationum. De lectione
Commentariorum & Scriptorum
ueterum seu Patrum. De Historia
ueterum certaminum ac Iudicio-
rum Ecclesiæ. De studio Philoso-
phiæ cum Theologia coniungendo.
Postremo de Experientia seu Praxi
doctrinæ, in doloribus, ærumnis, &
tentationibus, ad usum transferen-
dæ.

De his tantis rebus, ad gloriam
DEI & Ecclesiæ, ac studiorum no-
strorum salutem pertinentibus, cum
ordine & breuissimè summa se-
quens fastigia rerum, dicturus sim:
cumq; ad uestram præcipuè utilita-
tem hæc oratio directa sit; quæso a
uobis

uobis Auditores studiosissimi, ut me benignè, attentèq; audiatis.

Ordinar autem à grauiſſima, et diuiciſſima ueteris uerſus ſententia:

Ἀρχὴν ἅπαντων, καὶ τέλος, ποίει θεῶν.

Sit igitur hæc prima cura, & ultima mus finis, ac ſcopus omnium ſtudi- orum, & totius uitæ humanæ, ut **DEVM** rectè agnoſcamus & in- uocemus, ſicut ſe in doctrina à ſe tra- dita inuocari & coli præcepit. Cum- que certiffimum ſit, Deum ſine Deo non poſſe cognoſci, & Sacras literas nullius hominis ſtudio aut ingenio poſſe penetrari, nec poſſit ſibi homo ſumere quidquam, niſi ſit ei datum de cœlo: Primum abiecta omni fi- ducia uiriū, noſtri ingenij, aut in- duſtriæ: ardentibus uotis à **DEO** quotidie petamus, ut ipſe nos Spi- ritu ſancto ſuo doceat, & lucem uer- bi à ſe traditi in mentibus noſtris ac- cendat, & ſtudia noſtra adiuuet, re- gat & gubernet, ut ad ipſius glori- am & Eccleſiæ, noſtram, & aliorum ſalutem cedant.

Etis

DE STUDIO

Etiam Ethnici faniores naturali luce uiderunt, nulla hominum consilia, studia, et labores felices esse, nec suis, aut aliorum commodis utilitatibus seruire, nisi a Deo iuentur, ut in ueteri uersu grauissimè dicitur:

χωρὶς θεοῦ οὐδὲν εὐτυχὲς βροτοῖς. Item: θεὸς μὴ δίδόντος οὐδὲν ἰσχυρὸν πόνος.

Et aliquoties Plato, orsurus disputationes de materijs doctrinarum intricatis ac difficilioribus, & orat ipse, & hortatur alios, ut facta prius precatione, postea mentes ad inuestigationem ueritatis intendant, hac forma uerborum utens: εὐχὰ καὶ σκόπη.

Quod si gentes ueræ inuocationis DEI ignaræ, intellexerunt sine Dei auxilio nihil in studijs salutare effici: quantò magis nos in Ecclesia Dei nostram imbecillitatem considerare, et adsiduis ac ardentibus uotis studia nostra Deo commendare debemus. Non enim Philosophia nobis discenda est, sed arcana & diuina sapientia, longè supra humanæ & angelicæ

& angelicæ rationis conspectum posita, quam nemo principum seculi huius .h. nulla humana sapientia aut potentia, non Plato, non Aristoteles, nec ullius hominis solertia, sine Spiritu sancto intelligit.

Deinde Exempla multorum cernimus acutis ingenijs & excellenti doctrina præstantium, qui non solum ipsi infelicissimè in hoc doctrinæ genere uersati sunt, sed etiam totas gentes suo contagio, ex amoenissimis & saluberrimis sacre scripturæ fontibus hausto infecerunt, & perdididerunt. Videmus quàm uariæ & multiplices, ac intricatæ sint præsentium temporum disputationes, & doctrinæ confusiones, & crudelia etiam doctorum certamina, in quibus retinere ueritatem & fidem illibatam, nulla mens humana potest, nisi Deus ipse Spiritu sancto suo nobis præluceat, & ueram scripturæ sacre de singulis fidei articulis sententiam in mentibus nostris obsignet.

B

Itaq;

DE STUDIO

*In præfati-
one primi
Tomi Ger-
manici.*

Itaq; singuli, quibus uera pietas,
& salutaris doctrinæ coelestis cogni-
tio cordi est, quotidie, serio, & arden-
ter, nostra studia à Deo iuuari, & re-
gi petamus, & his ipsis uerbis Psal-
t. 119. quem uelut normam in studio
Theologiæ instituendo Lutherus se-
quendum esse monet, utamur: Do-
ce me Domine uiam tuam, da mihi
intellectum, ut discam mandata tua,
Fac cum seruo tuo secundum miseri-
cordiam tuam, & iustificationes tu-
as doce me. Seruus tuus sum ego,
da mihi intellectum, ut discam testi-
monia tua, Vias tuas Domine de-
monstra mihi, Dirige me in ueritate
tua. Liga testimonium, obsigna le-
gem tuam in discipulo tuo, Sanctifi-
ca me in ueritate tua, Sermo tuus
est ueritas.

Hæ precationum formæ ideo no-
bis à Spiritu sancto præscriptæ sunt,
ut eas adsiduè nostris studijs miscea-
mus, præsertim cum & seuerissimè
mandet Deus, ut nos ab ipso docerî,
&

& regi oremus, & prolixè auxilium suum perentibus polliceatur.

Etsi autem uerè dixit AGATHON eremita: Nullum difficilius esse opus, uera & ardenti precatone: tamen hoc ipsum quotidianæ inuocationis languidæ etiam, & imbecille exercitium Deo probatur: Et cum Theologia non in speculatione tantum, sed praxi præcipuè sita sit: ad usum transfert sententias scripturæ legendo præceptas: & ad ueram, & salutarem doctrinæ cœlestis cognitionem parandam, longè plus affert utilitatis, quàm multi labores discendi.

Post precationem, prima discensitis cura sit, ut Textum Bibliorum sibi familiariter notum reddat. Cum enim Deus doctrinam de sua essentia & uoluntate, scribi, & libris certis comprehendere uoluerit, nec aliter à nobis agnosci & coli uelit, quàm sicut se in suo uerbo, seu libro prophetarum & Apostolorum patefe-

II.
TEXTVS
BIBLIORVM.



DE STUDIO

cit: perspicuum est, assiduam, & attentam huius libri lectionem, omnibus hominibus necessariam esse.

Etsi enim non omnes ex professo Theologi futuri sunt: tamen quicumque se à DEO conditos esse agnoscunt, & Hominis appellationem retinere, & tueri student: facile intelligunt aliquid temporis lectioni horum scriptorum esse tribuendum. Itaque & æternus pater de cœlo clamat, iubens omnes audire Filium, & Paulus grauisimè præcipit: ATTENDE LECTIONI.

Cum enim doctrina Euangelij de Christo nō ex noticijs natura notis, sed ex patefactionibus diuinis, quæ in libris Prophetarum & Apostolorum continentur, discenda sit: diligens, & accurata, & attenta horum librorum cognitio ab omnibus pijs flagitatur.

Et per hanc lectionem, & cogitationem doctrinæ, in scriptis diuinis
traditæ

traditæ, efficax est DEUS, & ueram agnitionem sui, nouam & æternam lucem, iusticiam, & uitam in mentibus accendit.

Quotidie igitur uerè pietatis studiosi manè cum surrexerunt, & uesperè priusquam cubitum ibunt, unum caput in Biblijs legant, eaq; ordine euoluant; Et in ea lectione, non modò seriem historiarum, sed etiam præcipua de articulis fidei Christianæ testimonia considerent, quorum cogitatione, Fidem, inuocationem, & omnes uirtutes, accendant, alant, & confirment.

Hanc admonitionem de legendo assiduè Textu Bibliorum adeò necessariam & salutarem esse studiosis, Præceptor noster Philippus iudicat, ut & in publicis prælectionibus sæpissimè eam repetat, et omnibus, qui priuatim consilium ipsius de Ratione instituendi studiij Theologiæ requirunt, in eandem ferè sententiam & iisdem uerbis respondeat, Pri-

DE STUDIO

num singulis operam esse dandam, ut Textuales fiant, & Textum Bibliorum quàm familiarissime & optimè cognitum habeant. Quod si huius summi uiri iudicium & auctoritatem sequemur, nec ullum diem abire patiemur, quo non duo capita in Biblijs legamus, tum intra biennium semel tota Biblia, quæ circiter 1360. continent capita, ordine perlegemus.

Etsi autem uariæ extant Versiones Bibliorum, quarum singulæ suam merentur laudem; tamen iuniores, ueterem & plurimis in locis usitatam translationem latinam retineant. Cumq; loca erunt obscurius redita, ut in Psalmis, & Prophetis occurrent plurima, adhibeant Lutheri uersionem Germanicam, quæ sola plus lucis afferet lectori, quàm pleriq; commentarij.

Plurimum etiam studiosis Francisci Vatabli annotationes in Textum Bibliorum Grammaticæ, omnium
nium

nium quæ extant eruditissimæ, ad fontes scripturæ sacræ intelligendos profutura sunt.

Habeant autem iuniores in lecti-
one Textus Bibliorū hos præcipue
tres scopos in conspectu. Primum,
ut historias sacras animis infigant,
quæ cum natura capiant animos, &
delectent, facilimè à teneris menti-
bus retineri possunt. Et lectio hi-
storiarum suavior erit, si series tem-
porum accedat. Deinde ut senten-
tias insignes, seu Testimonia de sin-
gulis Doctrinæ Christianæ articu-
lis, & refutationibus errorum con-
siderent, easq; ad suos locos com-
munes, qui doctrinæ summam con-
tinent, aptè referant.

Tertio, Ut in sententijs insigni-
bus, ijs præcipuè, quæ summam E-
uangelij continent, singulorum uer-
borum emphases & pondera, dili-
genter & attentè considerent, & ex-
pendant, ut Paulus, in dicto de Fide
Abrahæ & Promissione ipsi tradita,

DE STUDIO

uim & pondera uerborum, Creditur, Imputatum est, in semine, benedicentur, altissimè introspicit, & singulari diligentia examinat, & perpendit, Gal: 3. Rom: 4.

Ita Lutherum memini, cum die Natali Christi annum 1546, inchoante, dictum Esaie 9. Puer natus est nobis, enarraret, bonam horæ partem, in expendendo pronomine NOBIS consumere, ac tum multa alia, de Emphasi ac pondere uerborum sacre scripture exquirendo, monere: tum uerò summam uniuersæ Theologiæ, in pronominum ui & applicatione, collocare. Is demum (inquit) uerè Christianus, & beatus erit Theologus, qui intelliget, & certò credet, hunc puerum NOBIS natum esse, Hunc Dominum esse iusticiam Nostram, peccata SIBI remitti.

Idem Lutherus, sciscitanti cuidam, qua ratione studia sacrarum literarum rectissimè institueret, respondisse

disse dicitur: Si sacras literas cogitaret non regum aut principum literas, quæ bis aut ter legi debere uulgò ferantur: Sed diuinæ maiestatis uerba, longè maiori diligentia & attentione legenda & expendenda esse: Verum hæc de quotidiana Textus Bibliorum lectione satis sit breuiter iuniores monuisse.

Proximum est, ut summam, & III.
 uelut corpus integrum ueræ de Deo SVMMMA
 doctrinæ coagmentatum ex præcipuis membris, seu locis, certo ordine distributis, & perspicua oratione explicatis, animo infigant. Ut enim Polybius in lectione historiarum iubet *σωματοποιεῖν*: & in omnibus alijs artibus, initiò summa rei in compendium & methodum contracta traditur: ita maximè in Theologia methodus *σωματοειδής*, seu (ut Paulina uoce utar) *ὑποτύπωσις*, hoc est, certa forma & summa ueræ doctrinæ iunioribus proponenda est, ad quam omnes sacræ scripturæ partes

Doctrinæ.

2. Tim. I.

DE STUDIO

dextrè referant, & quæ mentes eorum, ueris, & propriè ac perspicuè expositis sententijs, de omnibus fidei articulis instruat, & in omnibus controuersijs, ac disputationibus, iudicij norma sit.

Hoc consilio, Apostoli, & Synodus Nicena, & sequentes, Symbola condiderunt. Et omnibus ætatibus auidissimè à studiosis expetite, & exceptæ sunt tales methodi doctrinæ Christianæ, inter quas olim celebres fuerunt Origenis libri, quibus Titulum fecit $\pi\rho\iota\ \alpha\rho\chi\omega\mu$, id est, De Principijs, seu elementis Christianæ doctrinæ. Postea in Græcis Ecclesijs Damasceni libri de Orthodoxa fide, præcipuè in manibus discipulorum fuerunt. Et proximis annis 400. Petri Longobardi Episcopi Parisiensis sententiæ, ex Patribus certa methodo coagmentatæ, studia Theologiæ in plerisque totius Europæ Academijs reuerentur.

Etsi autem horum industria, & consili-

consilium laude dignum est, & alis
 quot doctrinæ articulos, piè & eru-
 ditè ab his explicatos esse constat, ta-
 men multas etiam ueræ doctrinæ
 corruptelas miscuerunt, & præcipu-
 um religionis nostræ locum: De re-
 missione peccatorum, seu iusticia fi-
 dei, ferè omnino omiserunt, aut fœ-
 dissimè contaminarunt. Nostra ue-
 rò ætate, in qua Deus immensa bo-
 nitate lucem ueræ doctrinæ restituit,
 etsi multorum extant methodi,
 Catecheses, loci, & similes libri, ex
 quibus summa ueræ doctrinæ medi-
 ocriter disci potest; tamen inter ceteros
 Solis instar enitent Loci Theo-
logici, & Examen ordinandorum à
 Philippo scriptum, in quo summa to-
 tius doctrinæ Christianæ, in quindecim
 locos distributa, omnium eru-
 ditissimè, elegantissimeque exposita
 est.

Quare adolescentes hortor, ut
 quotidie, absoluta lectione Textus
 Bibliorū, aliquid temporis, uel Ex-
 amini,

DE STUDIO

amini, uel locis ordine perlegendis tribuant, eosq; tantisper legant, & relegant, donec & omnes eorum sententias de singulis Doctrinæ articulis, ut digitos ac unguis suos norint, & sermonis proprietatem, ac perspicuitatem, ipsorum quoq; oratio aliqua ex parte referat ac redeat. Nec interea se plurium librorum Theologorum lectione onerent, sed Plinianum illud in conspectu habeant, quod monet, Non multa legenda esse, sed multum. Distrahitur enim animus uarietate autorum. Ac ut planta, quo sepius transfertur, eo minus succi & roboris ex terra atrahit; ita ex tumultuaria & uaria lectione, nec sententiæ, nec uerba autorum, in animis hærent atque insident, nec quicquam perfecti & solidi potest addisci.

Nihil igitur dubitans confirmare ausim, ingredientes studium Theologiæ, multo uberiores fructus ueræ pietatis & eruditionis, ex Textus Sa
cræ

cræ Scripturæ, et unius libri locorū
 Theologicorum assidua lectione &
 relectione percepturos esse, quā si
 interea per magnā uarietatem om-
 nis generis scriptorum uagarentur.
 Atq; hæ tres primæ admonitiones,
 de studio Theologiæ rectè instituē-
 do, ad omnes pietatis & salutis suæ
 studiosos pertinent. Quæ uerō dein-
 ceptis trademus præcepta, ijs potissi-
 mum sequenda erunt, qui ex profes-
 so Theologi nomen munusq; tueri,
 & alios in schola docere uolent. Hos
 enim omni studio & diligentia, in e-
 am quoque curam incumbere oportet,
 ut certa aliqua ratione, seu metho-
 do, & ipsi discant integrum corpus
 ueræ de Deo doctrinæ, & alios rectè
 ordine, & perspicuè docere, & cor-
 ruptelas uerarum sententiarum eui-
 denter possint refutare.

Cum enim in omnibus ceteris ar-
 tibus rectè discendis, & docendis,
 opus sit uia & ratione certa, quā
 Dialectice monstrat; tamen præci-
 puè

IIII.

Dialectica
& Rhetorica.

DE STUDIO

1. Tim. I.
2. Tim. I.
Tit. I.

puè in Theologia, quæ amplissimam de summis rebus continet doctrinam, nisi erudita methodo, & adhibitis definitionibus, diuisionibus, partitionibus, & proprietate sermonis, percipiatur, & explicetur: magnos errores, & dogmatum confusiones, & tandem religionis interitum consequi necesse est. Itaque Paulus ipse, cum iubet deligi pastorem Ecclesiæ, idoneum ad docendum, & ad rectè secandum uerbum ueritatis, & ad reuincendos contradicentes: studium Dialectices simul discipulis commendat, & præcipit.

Sunt autem, immenso Dei beneficio, præcepta Dialectica ex densissimis tenebris, & cauillationum spinis, hac nostra ætate, in claram lucem & in aciem educta, à communi Præceptore nostro, qui cum & utilissima præcepta, sapienti iudicio selegit, & optimis exemplis illustrarit, hortor adolescentes, qui Theologiæ
studii

studium ingressuri sunt, ut unicum illum libellum tantisper legant, & relegant, donec præcepta omnia sibi familiariter nota reddant, eaq; ad usum in iudicandis hominum sapientum scriptis, in styli, & disputationum exercitijs, ac præcipuè **IN DOCENDO** transferre possint.

Non enim satis est in Concione **CONCI-**
ONES. non tacere, & horam integram dicendo consumere, uel luxurie quædam orationis auditores detinere; sed talis Doctor, et Deo grata, et Ecclesiæ salutaria dicet, qui primum ita erit animo & uoluntate constitutus, ut res ueras, ad alendam pietatem utiles, necessarias, & diligenter cogitatas tradere auditoribus uelit. Deinde, qui ea eruditione, & dicendi facultate præditus erit, ut res ueras, iusto ordine distribuere, & arte lectis, proprijs, & significantibus uerbis explicare, & aculeos ueræ pietatis, ueri timoris, & fidei in animis relinquare possit.

Talis

DE STUDIO

Talis doctor, primum proponet, qua de re oratio instituta sit. Deinde, in paucos & utiles locos materiam partietur. Postea ordine singulos locos euoluet, & insignibus sententijs, & exemplis illustrabit. In fine ita concludet, & breuiter repetet locos, ut auditores intelligant, quid ex quolibet loco utilitatis excerpere, quid meminisse, & secum auferre debeant. Et totam concionem ad affectum aliquem ueræ pietatis, in auditoribus accendendum, referet.

Ad hanc facultatem docendi, tum multa adminicula alia, tum uerò etiam Dialecticæ artis cognitionem, & usum esse necessarium, omnibus apparet.

DISPUTATIONES.

Disputationes autem, in quibus de præcipuis doctrinæ Christianæ partibus, amanter & placidè, multorum, & doctorum sententiæ conferuntur, non modò ingenia acuunt, & Dialecticæ usum monstrant, uerum etiam

rumetiam ad illustrandam Veritatem, & assensionem, ac fidem confirmandam plurimum profunt. Cum enim cernunt adolescentes, quid opponi possit uerę sententię, et quomodo ea, quę obijciuntur, apte dissolui, & confutari debeant, tum & in agnita ueritate firmitus acquiescunt, & ad eam tuendam ac defendendam paratiores, instructioresq; ueniunt.

Cumq; in tota uita, ac præcipuē in Ecclesia, ad uerę de Deo doctrinę propagationem, & defensionem, necessaria sit facultas rectę, proprię ac perspicuę orationis, ad hanc quorūque dicendi facultatem comparandam, disputationum colloquia profunt. Sed præcipuę causę accedant, sedula lectio & imitatio optimorum autorum, in quibus purę, facilis, & perspicuę dictionis forma, seu Idæa est expressa; & dicendi, ac scribendi exercitatio assidua; & cognitio artium dicendi, in quibus formandæ

C oratiō

DE STUDIO

orationis ratio mediocri fide & diligētia solet studiosis à præceptoribus monstrari; Totum denique hoc discendi, & docendi studium, ut grauiissimè Plato monuit, præcipuè suscipiatur, ἕνεκα τῶ τοῦ θεοῦ κεχαρισμῶνα μὲν λέγειν δύνασθαι, κεχαρισμένως δὲ καὶ πράττειν, hoc est, ut DEO GRATA dicere, & grata facere possimus.

VI.
L I N.
G V Æ.

Cum autem fontes ueræ de Deo, & filio ipsius Domino nostro Iesu Christo, & de æterna salute nostra doctrinæ, monumenis Ebraicis, & Græcis, comprehensi sint; facilè apparet, omnibus, qui cum filio Dei, cum Prophetis, & Apostolis sine interprete colloqui cupiunt, & ueram, ac solidam doctrinam expetunt, linguæ Ebrææ, & Græcæ cognitionem summopere necessariam esse. Etsi enim extant uersiones Bibliorum, in lingua Latina & Germanica, luculentæ, & summa fide, diligētia, perspicuitate, exploratis eruditorum

rum

rum iudicijs elaboratæ : Et quamquam sapor est oblata dulcis in un-
da (ut poëtæ uerbis utar) tamen

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Et magis adducto pomum decerpere ramo,

Quàm de celata sumere lance iuuat.

Nam fieri non potest, ut ea pro-
prietate, & perspicuitate, & uerbo-
rum, ac figurarum luminibus, in ali-
enam linguam aliquid transfunda-
tur, ut non in fontibus omnia sint il-
lustriora & suauiora.

Magnum beneficium Ecclesiæ
præstiterunt, Aquila, Symmachus,
Theodotion, Lucianus Nicomedi-
ensis, Ieronimus & alij, qui post
septuaginta interpretum uersionem
suas quoque addiderunt. Sed tamen
ut certa sit Ecclesia, uersiones con-
gruere cum fontibus : semper ali-
quos eruditiores necesse est linguam
Ebræam, & Græcam, cognitatis tene-
re. Qui etiam interpretationum
errata corrigere, et de natiua uocum,
figurarum, & phrasium significatio-

C 2 ne,

DE STUDIO

ne, in locis obscurioribus, rudiores monere possint. Manifestum est enim, sæpe grauissimas, & maximi momenti controuersias, multo dexterius, ex mediocri cognitione figurarum, & phrasium, & linguarum, diiudicari, quam ex longis aliorum disputationibus. Vt nostro tempore aduersarij contendentes, uocabulo GRATIAE, non fauorem, seu beneuolentiam gratuitam, sed caritatem, seu donum Spiritus sancti infusum: Fide, Noticiam articuloꝝum doctrinae: iusticia, obedientiam, seu impletionem legis: Euangelio nouam legem significari: euidentissimè ex fontibus linguæ Ebrææ, & Græcæ, unde & uocabula illa, & tota cœlestis doctrina primò sumta est, refelli possunt.

Ac tres præcipuè linguas, ad conseruandos, ac propagandos doctrinae Christianæ fontes, diuinitus datas, & Ecclesie necessarias esse in Titulo etiam crucis Christi, Ebræis,
Græc

Græcis, & Latinis literis scripto, significatum est.

Quòd si multos ad peregrinam aliquam & barbaricam linguam in Russia, aut Norico discendam, lubrica & fallacissima spes exigui lucri impellit: quantò magis nos æterni, & cœlestis Thesauri, in monumentis linguarum, quibus & Prophetæ & Apostoli utuntur conclusi, & amplissimarum utilitatum consideratio, ad amorem & studium ardens cognoscendi linguas, diuinæ erga nos uoluntatis nuncias & interpretes, debet permouere.

Quare hortor iuniores, ut Græcæ in primis linguæ cognitionem mediocrem, non modò ad genus sermonis diuini, sed ad omnium ferè doctrinarum fontes, & omnia sapientum Philosophorum, Poëtarum, historicorum scripta, rectè intelligenda necessariam, studio Latinæ linguæ adiungant.

DE STUDIO

Clenardi
Gramm.
Graec.

Schola usitatē praecepta Grammaticae Clenardi soleant proponi (cuius admirabilem in tradenda Graecae & Ebraeae linguae elementis, facilitatem, & felicitatem fuisse, saepe ex D. Bordingo, ipsius auditore intellexi) moneo adolescentes, qui eius linguae studia suscipiunt, ut initiō, ex unico illo libello, regulas omnes, & flexionum formulas accuratē ediscant: easq; in uno aliquo autore, ut Euangelis, Hesiodo, Homero, uel Plutarchi libellis, qui usitatē in hac schola praeleguntur, exiliter & accuratē ad calculos reuocent. Deinde natiuam uerborum significationem & copiam, & totius orationis, ac praecipue συγκατακροημάτων uim & constructionem, ex Xenophontis, Sophoclis, Euripidis, Herodoti, Plutarchi, & aliorum autorum lectione, & probatis magnorum artificum Versionibus, addiscant: Et praecipuē earum phrasium, & uerborum, quibus Apostoli saepe usi sunt,

sunt, testimonia & exempla, obseruent. Sed de tota ratione utiliter discendi in singulis artibus, & linguis, sui cuiusque generis professores monebunt.

Vt autem ad fontes doctrinæ Propheticae & Apostolicæ in lingua Ebraea & Græca cognoscendos studiosi inuitarentur: graui & salutari consilio, Decanus studij Theologici in hac schola, nuper certas singulis septimanis horas, perlegendo ordine Textui Bibliorum constituit. Et pro excellenti, qua præditus est ipse, Linguae Ebraeae peritia, Mosis & Prophetarum Ebraicæ loquentium interpretationem, sibi sumsit. A me uerò Noui Testamenti lectionem Græcam suscipi ueluit. Cui cum usitato in Scholis more aliquid præfandum esset: has de Optima ratione ingrediendi studium Theologiae admonitiones, existimaui iunioribus maximè gratas fore & salutare. In quarum expositione

DE STUDIO

VII.
 Commenta
 rij & Pa-
 tres.

cum ordo nos ad Septimū institutæ
 partitionis caput, de Commentarijs
 & Patribus legendis, deduxerit; ini-
 tio studiosos moneo, ut omni cura
 φιλαυτία & fiduciam proprij inge-
 nij & facundiæ fugiant, nec αυτοδίδα-
 κτοι uideri uelint, de quibus in The-
 æteto Platonis dicitur, ουδὲ γίνεται πρῶ-
 τοῖσιν ἑτοροῦ ἑτέρου μαθητῆς, ἀλλ' αὐτο-
 ματοὶ ἀναφύονται, καὶ ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον
 οὐδὲρ ἠγῆται εἰδέναι. Sed diligenter au-
 diant præceptores Theodidactos, le-
 gant eorum scripta, sciscitentur eru-
 ditorum iudicia de grauissimis reli-
 gionis controuersijs, & uiuas potissi-
 mum audire ac reddere uoces, eo-
 rumq; sententijs mentes suas erudi-
 re & doctrinam augere & fidem
 confirmare studeant.

Hoc consilio Hieronymus, Do-
 ctiores pietate, eruditione et dexteris-
 tate iudicij præstantes, procul in dis-
 sitissimis regionibus, Damasum Ro-
 mæ, Nazianzenum in Cappadocia,
 Episcopus

Epiphanium in Cypro, Apollinari-
um in Syria, Didymum in Aegyp-
to, Barrabanum Iudæum in Palæsti-
na, & quidem noctu, discendi gratia,
adiit. Basilius etiam præcipuas Græ-
ciæ, Thraciæ & Asiæ Ecclesias per-
lustravit.

Cum autem alij alijs impediti cau-
sis, non possint doctrinæ causa pere-
grinationes longinquas suscipere,
nec ulli ferè facultas præbeatur om-
nium doctrinæ cœlestis partium ex-
plicationem uiua uoce traditam au-
diendi: aliorum etiam eruditorum
scripta & commentarios legi oportet,
In quibus alij alia interpretis of-
ficia studiosius obiuerunt.

Nam & summam seu scopum to-
tius scripti, & orationis contextum,
membrorum seriem, natiuam ser-
monis sententiam, uim ac proprie-
tatem uerborum, figuras, lectionem
diuersam, Locos communes, & na-
tiuæ sententiæ corruptelas indicare,
ad officium boni interpretis perti-
net.

DE STUDIO

Deligendæ sunt igitur illæ potissimum enarrationes, quæ ad filum methodi directæ sunt, & in quibus tota explicatio ad locos Euangelij proprios, & omnibus ad ueram pietatem, fidem, inuocationem & spem æternæ salutis, cognitu necessarios refertur, et una, uera ac natia sententia sermonis diuini, propriè & perspicuè, ex fontibus linguarum, & ex collatione textuum, & præceptis artium dicendi, illustratur.

LVTHERVS.

Tales sunt Philippi in Epistolam ad Romanos, Timotheum, Colossenses, Euangelion Ioannis, Danielem, &c. & Doctoris Lutheri enarrationes, qui in libris sacrae scripturae interpretandis, summa fide, diligentia & dexteritate, primū natiam & germanā sententiam textus proprijs uerbis & perspicuè exponit, & Emphases ac pondera uerborum diligenter expendit. Deinde certos & paucos locos, fidei, timoris, pœnitentiæ,

tia, inuocationis, crucis, bonorum operum &c. excerpit, quos eruditè & copiose & ardenti spiritu, penetrante in animos & permouente pectora lectorum, euoluit.

Hanc enarrandi rationem, tum in Euangelij & Epistolis & alijs lucubrationibus suis, tum uerò omnium eruditissimè in ijs commentarijs secutus est, quibus Prophetas in schola illustrauit. Quos ex ore ipsius exceptos, Vitus Theodorus postea Ecclesiæ impertiuit. Hi cum in Tertio & quarto Operum Lutheri Tomo collecti & simul editi sint, hortor studiosos, ut cum cæteras illius uiri lucubrationes, tum uerò præcipuè insigne illud & uerè aureum opus sibi comparent & diligentissimè legant.

Vtiles quoque sunt ad historiam HIERONIMVS
sacram & Textum Prophetarum NYMVS
intelligendum diui Hieronymi Epistolæ, & Commentarij in Prophetas NICO-
tas: & Nicolai Lyrae expositiones, LAVS
quibus LYRA.

DE STUDIO

quibus ante 240. annos in Anglia,
omnes sacrae scripturae libros illuz
stravit.

Sed ad eruditionem spiritualem,
& sapientiam illam Ecclesiae peculiarem
& mundo ignotam, de gratia
Christi & iusticia fidei recte intelli
gendam, longè plus conducet, unicus
Lutheri in Epistolam ad Galatas
commentarius, quàm omnia Iero
nyni, Basilij, Cyrilli, Origenis, Na
zianzeni, Epiphaniij, Hilariij & ple
rorumq; Patrum opera in unum
collata. Pleriq; enim Patres in ar
ticulo de tribus personis & duabus
in Christo naturis illustrando, om
nem vim ingenij & eloquentiae con
sumunt. Propriam uerò Euange
lij de gratia Dei, & iusticia fidei do
ctrinam, quae praecipuum & propri
um Ecclesiae patrimonium est, leuiss
simè attingunt, aut politicis opinio
nibus de iusticia legis obscurant &
deprauant.

AVGV=STINVS.

Vnus Augustinus & Ambrosius
(si

(si modò is autor est librorum de uocatione gentium) penè sepultam de peccato originis, de gratia Christi, & iusticia fidei, doctrinam, pluribus scriptis renouauit. Et quanquam nõ omnino sententiæ Pauli de grauita imputatione iusticiæ Christi satisfacit Augustinus (hæret enim in hac persuasionem, hominem, etsi proprijs uiribus seu operibus sine Spiritu sancto factis, non possit coram DEO iustificari; tamen gratis donato Spiritu sancto, posse deinceps legem DEI implere, & propter hanc legis impletionem, quam Spiritus sanctus in renatis efficit, iustum coram DEO reputari) tamen propius ad genuinam Pauli sententiam accedit, quam omnes, qui uel ante uel post eum usque ad Lutheri tempora scripserunt. Legant igitur studiosi præcipuè librum de Spiritu & litera. Item sex libros contra Iulianum, & quatuor libros, aduersus duas Pelagianorum Epistolas, & tres

DE STUDIO

tres libros de peccatorum meritis
& remissione &c. ac ea, quæ expli-
cationi Augustinianæ defunt, ex
Pauli Epistolis, & Lutheri enarrati-
onibus, & propria experientia in
certaminibus conscientiaë suppleant;
& simul Deo gratias agant, quod
adeo claram Euangelij lucem hac no-
stra ætate rursus accendit; & orent
Deum ardentibus uotis, ut eam in
mentibus nostris obsignet.

Vtilis erit autem, & reliquorum
Patrum lectio, ijs, qui summam do-
ctrinæ Christianæ ex scriptis Pro-
pheticis & Apostolicis recte didice-
runt, et ad hanc iudicij normam scri-
pta Patrum eruditè examinabunt.
Etsi enim doctrinam de peccato, &
iusticia fidei, tenuiter tractant, et sæ-
pè absurdas & falsas sententias ef-
fundunt, quas admoniti, fortasse cor-
rexissent: sæpe etiam ipsi inter se dis-
sentiunt, et interdum sibijpsis nõ con-
stant: tamen aliquot articulos uideli-
cet de Trinitate, de duabus in Chri-
sto

sto naturis, de creatione, de causa
Mali, de Baptismo, de plerisque Virtu-
tum officijs, de Coniugio, de Resur-
rectione carnis &c. rectè, eruditè &
copiose illustrarunt, & aduersus hære-
ses, sua etate grassantes, defenderunt.

Et multa continent historica tes-
timonia, quæ ad controuersias præ-
sentiũ temporum dijudicandas ma-
gno usui sunt, ut de usu cœnæ Domi-
ni, quæ proximis seculis horribi-
liter prophanata est, de Baptismo
infantium, de ordinatione, gradibus
ac potestate ministrorum & Episco-
porum, de traditionibus humanis, de
coniugio sacerdotum, de Pœnitentia
&c.

IUSTINVS Philosophus, cir-
ca annum Christi 150. articulum de
uno uero Deo, & diuina ac humana
natura in Christo, erudite explica-
uit: & Christianam religionem Apo-
logia ad Antoninum Pium Impera-
torem, & alijs scriptis aduersus Gre-
cos & Iudæos defendit.

IRENÆ

DE STUDIO

I R E N A E V S, Polycarpi discipulus, & Episcopus Lugduni in Gallia, circa annum à nato Christo 180, pro doctrina de uno uero Deo creatore mundi & Patre Domini nostri **I E S V C H R I S T I**, & de Filio Dei $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ substantiali ex Virgine nato, item de causa mali, & de Resurrectione & salute carnis humanæ, contra Valentini sectatores fideliter propugnauit. Et quidem Germanicarum Ecclesiarum testimonia citat lib: 1, cap: 3.

T E R T V L L I A N V S presbyter Carthaginensis, circa annum Christi 200, eosdem doctrinæ articulos, de uno solo uero Deo, & de filio Dei $\lambda\acute{o}\gamma\omega$, quòd sit persona à Patre distincta, de uera carne Christi, & resurrectione nostræ carnis &c. eruditissimè illustrat: & Marcionem, Praxean, Hermogenem, Appellem, Iudæos & Valentinianos refutat. Et Præscriptiones seu Regulas generales, ex quibus omnes ferè hæreses

hæreses iudicari, & refelli possunt, peculiari libro collegit.

Eodem tempore CLEMENS, in Schola & Ecclesia Alexandrina, hypotyposin seu summam totius doctrinæ Christianæ, uiva uoce & scriptis illustrauit, & in tribus libris, pro treptico, pædagogo, & stromatis, qui soli extant, insignia testimonia de Trinitate, de Persona, merito & Sacrificio Christi, de Coniugio Sacerdotum & libero Usu rerum mediarum, & refutationem Ethnicorum Iudæorum, Gnosticorum, Basilidis, Taciani, Marcionis &c. posteritati reliquit.

Huius discipulus fuit ORIGENES, qui circa annum Christi 240. incipiens, totam sacram scripturam intra annos duodecim interpretatus est. Huius nunc Homiliæ aliquot & libri $\pi\epsilon\gamma\iota\ \alpha\rho\chi\omega\mu$, & contra Celsum, & commentarij in Epistolam ad Romanos reliqui sunt, de quibus Præceptorum

D

ceptorum

DE STUDIO

ceptorum nostrorum iudicia non ignota sunt.

CYPRIANVS, Episcopus Carthaginensis circiter annum Christi 250. floruit, & puram de Deo, de tribus Personis, de duab. in Christo naturis, de beneficijs Filij Dei & Spiritus sancti doctrinam, multis insignibus sententijs passim recitavit, multa etiam insignia testimonia de Baptismo Infantum, de Vsu Coenae Domini, & ordinatione ministrorum continet, ex quibus de praesentium temporum certaminibus iudicium dextrè sumi potest.

LACTANTIUS initio Imperij Constantini, Nicomediae uixit, & omnibus ferè in Ecclesia Latinis scriptoribus orationis puritate, elegantia & splendore antecelluit; Sed doctrinam Euangelij propriam, de beneficijs Christi, & de Fide, parum intellexit. Expressè enim scribit Christum ideo tantum missum esse, ut suo uerbo

uerbo & exemplo nos ad uirtutem inuitaret: ideo passum esse, ut exemplo patientiæ nobis præluceret. Cūque lib: 5. & 6. orationem de iusticia Christiana ex professo instituerit; tamen de Philosophica tantum seu Legis iusticia disputat, & iusticiæ fidei, quæ Euangelij propria est, nullam ferè mentionem facit. Prima tamen operis pars, quæ Ethnecas idolomanias, & Philosophicas de Deo & summo bono opiniones taxat, & liber de Opificio Dei in structura corporis & animo humano, eruditus & lectu utilissimus est.

HILARIUS Episcopus Picta-
uorum in Gallia, cum sub Constan-
tio Imperatore Arriano, in Phry-
giam relegatus esset, accuratissimè
scripsit duodecim libros de Trinita-
te, in quibus doctrinam de diuina in
Christo natura aduersus Arium eru-
ditissimè defendit. Hunc Hierony-
mus tubam mundi, & Latine elo-
quentiæ Rhodanum appellat.

D 2 Atha-

*tuba
mundi*

DE STUDIO

ATHANASII, Episcopi Alexandrini doctrina, & scriptorum omnium summa in Symbolo comprehensa est, quod Athanasianum uulgo appellatur.

BASILIVS, Episcopus Cæsareæ Metropolis Cappadociæ, circa annum Christi 380. Orthodoxam sententiam de tribus personis & de filij & Spiritus sancti diuinitate & ὁμοσίᾳ cum æterno patre, contra Eunomium, & Pneumatomachos propugnauit; & eruditissima enarratione ἐξήμωρον seu primum caput Genesis exposuit.

*Basil.
eloq̄ntiss.*

Nullus est autem inter omnes Patres, Græcos & Latinos, quorum extant scripta, Basilio eloquentior, ex cuius sanctissimo pectore & omnium disciplinarum cognitione instructo, emanat naturali quodam, & suaui, & in affectato fluxu, oratio, omnibus ferè numeris absoluta, sana, simplex, dilucida, grauis et tamē suauis, &

& singulari figurarum & ornamentorum delectu expolita, ut omnibus eruditis admiranda, & simul tamē imperitioribus perspicua sit, nec unquam satietatem adferat legenti, Quare hunc scriptorem præ cæteris, amantes piæ doctrinæ & ueræ eloquentiæ diligenter cognoscent.

GREGORIVS Nazianzenus, studiorum & consiliorum Basilij socius, & diui Hieronymi præceptor, in libris de Theologia, articulum de Deo & filij Dei ac spiritus sancti diuinitate & ὁμοσιᾶ cum æterno patre, aduersus Eunomium defendit. Cæteros doctrine Euangelij proprios locos non tractauit. Sed orationis circiter 50. & Epistolas ac poemata eruditissima & dulcissima reliquit, Quæ ab omnibus sapientiæ & eloquentiæ Græcæ & pietatis Christianæ studiosis, summa cum uoluptate legentur.

Huic quantum ad orationis acumen

D 3 men

DE STUDIO

men & argutas & affectatas sententias pertinet, conferunt ex Latinis Ambrosium Mediolani Episcopum, qui eodem tempore uixit: sicuti Iohanni Chrystomo, quod ad copiam, & facilitatem orationis attinet, et scripta ad popularem captum accommodata, diuum Augustinum comparare solent: qui patres eadem ferè ætate, circa annum Christi 400. floruerunt. Sed cum Augustini & Hieronymi, qui inter Latinos præcipui sunt, paulo ante mentio facta sit, nec diutius in hac orationis parte immorari per temporis angustiam liceat: de Patribus dicere mox desinam, si unum illud monuero: Studiosos, qui uel sumtuum inopia, uel alijs de causis, ingentia patrum uolumina sibi emere, uel occupationibus alijs impediti, ea perlegere non possunt: uelut Locos communes ex Latinis Patribus & præcipuè ex Augustino, in quatuor libris Magistri sententiarum, Petri Lombardi, collectos habere: in quibus

Magister
sententiarum.

quibus de multis doctrinæ Christianæ articulis, de essentia diuina, de mysterio Trinitatis, de preuisione diuina, de creatione omnium rerum, de causa mali & lapsu primorum parentum, de peccato, de duab. in Christo naturis, de Baptismo, de coniugio, de resurrectione mortuorum, & extremo iudicio, imò etiam de Libero arbitrio, pleracq; tolerabiliter & piè explicantur. Sed distinctione 27. & 28. lib. 2. & dist: 23. & sequentibus, lib. tertio, doctrinam de Gratia Dei & fide iustificante, philosophicis & legalibus opinionibus planè obscurat & deprauat. Et cum de pœnitentia lib: 4. differit, nullam omnino fidei accipientis remissionem peccatorum propter Christum, mentionem facit. Imò peccata propter nostram contritionem & satisfactionem remitti fingit.

Decretum etiam Iuris Canonici, quia ex sententijs Patrum, & Canonibus

DECRE-
tum Pontificum.

D 4 nibus

DE STUDIO

nib. ueterum Conciliorum, qui magna ex parte nusquam alibi extant, compilatum est, legi utiliter à studiosis Theologiae poterit, qui antea recte instituti erunt, & normam iudicij & uerbi diuini in legendo adhibebunt.

Ordine enim de multis utilibus materijs sententiae Patrum collectae sunt: de Lege naturae, ciuili, & consuetudine, de Concilijs & Canonibus Ecclesiasticis, de Ordinatione, & gradibus ac officijs ministrorum Ecclesiae, de ordine Iudiciorum Ecclesiasticorum, de Excommunicatione, de bonis Ecclesiasticis non alienandis, de Iuramentis, de uindicta & bellis, de Hereticis, de Coniugio, & causis Matrimonialibus, de Poenitentia, de Confessione & recipiendis lapsis, de Coena Domini, de Baptismo, &c.

Etsi autem de his ipsis materijs multae ineptae, falsae, & impiae opiniones insperguntur, sicut totum opus

ex

ex dissimilibus & inter se pugnantibus sententijs consutum est; tamen multi etiam pij Canones in eo opere conseruati sunt, quibus in præsentiu temporum disputationibus, Aduersarij de suis abusibus & ueræ doctrinæ corruptelis, ex proprijs ipsorum libris & testimonijs, conuinci & refutari possunt.

Hoc consilio etiam ueterum Synodorum, & certaminum ac iudiciorum Ecclesiæ historia cognoscenda est, de quibus eadem admonitio, quam de Patribus paulo ante recitavi, tenenda est. Etsi enim Ecclesia, ut doctrix & testis doctrinæ ab Apostolis traditæ, reuerenter audienda est; tamen regula ueritatis doctrinæ, perpetua & immota semper manet, Verbum Dei, ad quod, uelut ad Lydium lapidem, omnia Synodorum decreta sunt examinanda. Vt autem Patres, ita præcipuæ Synodi, quarum decreta extant, articulum de tribus diuinitatis perso-

VIII.
HISTORIA
ECCLÉSIE.

SYNO-
DI.

DE STUDIO

his & duabus in CHRISTO naturis
potissimum illustrarunt. Doctrinae
autem de gratia & beneficijs Chri-
sti, & de Iusticia fidei, nullam ferè
mentionem faciunt.

NICENA anno Christi 330.
confessionem de diuinitate filij Dei
aduersus Ariũ edidit, condito Sym-
bolo, quod Nicenum appellatur.

CONSTANTINOPOLI-
TANA prima, anno 383. symbo-
lum Nicenum repetiuit, & Confes-
sionem de diuinitate spiritus sancti
aduersus Macedonium adiunxit.

EPHESINA anno 433. do-
ctrinam de personali unione dua-
rum in Christo naturarum, & pro-
positionẽ, VERBUM CARO
FACTVM EST, illustrauit,
damnato Nestorio.

CHALCEDONENSIS,
anno 458. Eutyche, qui duas in Chri-
sto

sto naturas inter se confusas, & unam & eandem DEI uerbi, & assumptæ carnis naturam esse dicebat, damnauit.

CONSTANTINOPO-
LITANA QUINTA uniuersalis anno 555. doctrinam de modo unionis duarum in Christo naturarum repetiuit sub Iustiniano Imperatore.

CONSTANTINOPO-
LITANA SEXTA an: 680.
Monothelitas refutauit, qui diuinæ & humanæ naturæ CHRISTI unam tantum uoluntatem & operationem esse docebant.

NICENA SECUNDA
anno Christi 790. superiorum Synodorum confessionem repetiit & *εἰκονομαχίαν* damnauit. Atq; hæ sunt septem celeberrimæ Synodi, quas uulgò uniuersales & Oecumenicas nominant. Quarum decreta deinde in prouincialibus Synodis, ut
Tole-

DE STUDIO

Toletana prima , 4. 6. & undecima,
Carthaginensi secunda , Cabilionen-
si & cæteris, subinde repetita sunt.

Sed in presentium temporum cō-
trouersijs, de peccato originis, de im-
becillitate liberi arbitrij , de gratia
Dei iustificante, de peccatis quæ re-
manent in sanctis &c. præcipuè pi-
as mentes confirmant , Mileuitanæ
Synodi, in Africa tempore Hono-
rij, & Arausicæ in Gallia sub iuniore
Theodosio celebratæ , decreta , quæ
cum nostrarum Ecclesiarum doctri-
na planè congruunt.

Extant & Gangrensis Synodi, in
Paphlagonia habitæ , Canones , qui
in decreto Gratiani , dist: 30. & ali-
bi, citantur, in quibus de dignitate
coniugij, de Votis , de Sacerdotum
coniugio , de ieiunijs & alijs traditi-
onibus humanis , pie et planè cum
nostrarum Ecclesiarū sententiâ con-
uenientes censuræ recitantur.

De reliqua uera Ecclesiæ ueteris
historia,

historia, & serie Doctorum, qui succedentes in uestigia Apostolorum, ueram Euangelij doctrinam ad posterios propagarunt, nullius autoris uetustius et fide dignius monumentum hoc tempore extat, quam Eusebij historia, à tempore nati Christi usq; ad initium Imperij Constantini deducta.

HISTORIA Ecclesiastica.

Hunc continua serie Theodoretus sequitur, et historia TRIPARTITA, quam ex libris trium scriptorum Theodoretii, Sozomeni & Socratis, Cassiodorus coagmentauit, & usque ad Theodosij iunioris tempora, uidelicet ad annum Christi, 444. contexuit.

Octuaginta hæreticorum ueterum historias, & dogmata, & eruditæ eorum refutationes, collegit Epiphanius Episcopus Constantiæ seu Salaminiæ urbis Cypri, circa annum Christi 380. Assumpsit autem bonam partem secundæ, & tertij Tomi aduer-

Hysto:
80 Hæret:
Epiphanius

DE STUDIO

ad uerbum ex Irenæo. Quod eam ob causam indico, quia Latini Irenæi lectio magis dilucida & intellectu facilius erit, collata ea parte, quæ in Epiphanio Græca extat. Nam Irenæum Græcè scripsisse certum est.

Sequentium uerò temporum historia Ecclesiastica, ex fragmentis autorum, qui Vitas Cæsarum, & Pontificum Romanorū scripserunt, & ex decretis synodorum prouincialium, quæ passim celebratæ sunt, colligi ut cunq; potest. Sed hæc de Patrum scriptis & Synodis, & perpetua Ecclesiæ historia cognoscenda dixisse satis sit. Nunc de studijs Philosophiæ, Theologo necessarijs, oratio instituenda erat. Sed de Artibus dicendi & linguis breuiter antea dictum est.

IX.
PHILO
sophia stu-
dia.

De Ethicis & politicis diui Basilij iudicium studiosi meminerint, qui legendos esse à Christianis Ethnicorum Philosophorum & Poëtarum libros monet, quia aut eadem dicant,

dicant, & profit consensus: aut di-
 uersa dicant, & profit collatio.

Cum enim Philosophia moralis
 pars sit seu riuulus legis diuinæ, cuius
 noticia mentibus humanis insita
 est, facile apparet, Locos de lege, &
 de bonis operibus & de magistrati-
 bus, plurimum eruditis illis homi-
 num sapientum & eloquentium dis-
 putationibus Ethicis & Politicis il-
 lustrari, Sed tamen accuratis limiti-
 bus discernatur hæc doctrina ab
 Euangelio, quod est arcana sapien-
 tia de reconciliatione hominum, &
 uita æterna propter filium Dei pro
 nobis passum & resuscitatum do-
 nanda.

Hæc sapientia Platoni, Senecæ,
 Ciceroni & omnibus Philosophis
 ignota fuit, & nullo modo in philo-
 sophicas opiniones transformanda
 est.

Physicæ uerò doctrinæ & Mathe-
 matum initia multis sacrae scripturæ
 locis

DE STUDIO

locis lucem afferre, & ad multos doctrinæ locos, maiori dexteritate & perspicuitate explicandos, necessaria esse, manifestum est. Quomodo enim doctrinam de imagine Dei, de peccato originis, de libero arbitrio, rectè & eruditè quisquam explicabit, qui potentias Animæ, qui mentem & uoluntatem, noticias theoreticas & practicas, appetitiones naturales sensuum & uoluntarias; inclinationes per se bonas, per se malas & per accidens contaminatas; gubernationem cordis πολιτικῶν & locomotiuæ δεωολικῆν, non eruditè discernit.

Cumq; Christus et Prophetæ passim ad animantium & plantarum naturas alludent; intelligi eas & rectè accommodari ab interprete oportet. Quotidiè ad mensam recitari audimus uersum Psalmi 146. Qui dat iumentis escam ipsorum & pullis coruorum inuocantibus eum.
Hæc

Hæc uerba multo illustriora erunt consideranti naturam Coruorum, qui pullos implumes non alunt, sed plane deserunt; ideoque fame miseri pulli perirent, nisi diuinitus ita ordinatum esset, ut ex carnibus in nidum coniectis, & ex stercorebus uermiculi nascerentur, quibus tantisper aluntur, donec ipsi euolare et pastum sibi quærere possint. Cum igitur Deus hanc ἀσπογον auem adeo mirabiliter pascat, multo magis nos, qui ad imaginem ipsius conditi & per filium redempti sumus, & uictu & omnibus bonis cumulatè ornabit.

Alibi passerum meminit Christus, & Iohannis 15. confert se Viti, nos palmitibus, Item Psal: 92. Iustum confert palmæ perpetuò uiuenti, & Amos dicit, se pastorem esse scilicet sycamina. Has collationes sine doctrina Physica, seu consideratione naturæ illarum arborum rectè intelligi & accommodari non posse manifestum est.

E Arith=

DE STUDIO

Arithmeticae autem & Astronomiae cognitio in Ecclesia ad doctrinae de Anno & Calendarii conseruationem necessaria est. Non enim initia mundi, non exordia & propagatio Ecclesiae, series diuinarum paterfactionum, ordo Imperiorum, tempora aduentus Christi in carnem, & ad iudicium, tempora, quibus praecipui doctores Ecclesiae uixerunt, & maximae res in Ecclesia gestae sunt, non ratio celebrandi Paschatis Iudaici, non magnitudo miraculi, quo Sol patiente Christo obscuratus est, cogitari & intelligi sine numeratione annorum, & initijs doctrinae Astronomicae possunt.

Ideo Deus ipse in prima statim sacrae scripturae pagina iubet nos spaciam motuum Solis & Lunae, qui dierum, mensium & annorum metas constituunt, & omnium maximae industria DEI & prouidentiae diuinae signa sunt, obseruari. Verem enim, ut Plato ait, gratissima & omnium dulcissima

cissima de Deo fama in astris & doctrina astrorum sparsa est.

Et in genere omnium historiarum in sacris literis lumē est Geographia, quæ situs & interualla locorum, in quibus diuinæ patefactiones editæ & aliæ res gestæ esse scribuntur, indicat & certa ratione metitur. Imò in quotidiana inuocatione cogitantes de uero Deo, & de testimonijs & locis diuinarum patefactionum, mente & fide ad illam ipsam Iordanis ripam Hierosolymæ uicinam, ubi tota diuinitas se in Baptismo Christi ostendit, nos sisti oportet, & circiter 500. miliaria conficere, quæ inter Rostochium & Hierosolymam intersunt.

Sed nec totius orbis terræ, nec astrorum & motuum cœlestium cognitio, non linguæ, non Patres, non sacrarum literarum lectio & tractatio assidua, denique non excellens eruditio & eloquentia, bonum Theologum faciunt, nisi CRVX ac CRVX.
E 2 cedat,

X.

DE STUDIO

cedat, per quam Deus lucem ueræ
agnitionis sui, ueræ fidei in Christo
acquiescentis, ueræ intelligentiæ di-
uinarum promissionum, ueram in-
uocationem, spem, humilitatem &
omnes uirtutes, initio per Verbum
in cordibus accensas, probet, expo-
liat, confirmet & perficiat.

Cum enim Theologia non in so-
la cognitione & scientia, sed in ueræ
pietatis usu & praxi præcipuè posita
sit; non satis est mentē præclara erudi-
tione instructam, & linguæ plectrū
uolubile esse, nisi in uoluntate &
corde ueri motus pietatis, pœniten-
tiæ, fidei, consolationis, patientiæ, in-
uocationis, dilectionis Dei & proximi
existent. Nec uero quid et qua-
les sint hi motus, intelligi potest, nisi
in feris doloribus, angustiis & tentati-
onibus, sensum aliquem & pauorum
& consolationis, & fiducia ac læticiæ
in Deo acquiescentis, percipiamus.

Mentes securæ, perpetuò uersatæ
in rebus secundis, ebricæ uoluptati-
bus

bus, cum legunt canticum Ezechiaë, Precationem Ionæ, Psalmos 6. 30. 37. 24. 68. & similes, existimant rumores uacuos uerbaq; inania, & parem sollicito fabulam somnio esse (ut Senecæ uerbis utar). Ideoq; nec ipsi eas descriptiones fidei eluctantis ex grauissimis doloribus animo cõprehendere, nec quidquam de ijs loqui & alios efficaciter docere possunt. Iuuenes uerõ, etiamsi studium doctrinæ & pietatis ueræ in eorum pectoribus accensum est; tamen quia nondum communes uitæ humanæ miserias, & tristissimos pauores conscientiaë, degustarunt, parum aut nihil de illis certaminibus & exercitijs spiritualibus intelligere aut iudicare queunt. Itaq; ingruentibus tentationum procelis, re ipsa quàm simus inopes ueræ & ardentis fidei, inuocationis, patientiaë, spei, experimur. Imõ ex infinitis uerbi diuini & efficacissimis ad cõsolandos animos promissionibus,

E 3 quæ

DE STUDIO

bus, quæ antea nobis notissimæ & familiarissimæ esse uidebantur, in initio dolorum, uix una nobis in mentem ueniret, nisi amicus aliquis aut minister Euangelij eam subiiceret.

Deposita igitur inani doctrinæ Theologicæ & sanctitatis eximiæ persuasione, animos nostros ad crucem præparemus non minus necessariam illis, qui boni Theologi sunt futuri, quam hoc aëre & cibo ad uitam corporis sustentandam opus est. Cum enim tota Euangelij doctrina sit consolatio mentium, quæ sensu iræ Dei & grauium dolorum ac miseriarum, afflictæ sunt & consternatæ: quomodo uel intelliget rectè Euangelion, uel in alijs docendis aut consolandis efficax erit: qui ipse non est in doloribus & ærumnis uim & efficaciam Euangelij expertus? Qui non est tentatus, qualia scit? inquit sapiens Syracides, & sola uexatio dabit intellectum auditui. Quem docebit

cebit scientiam; ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus. &c.

Non potest in homine esse uera Dei scientia, nisi Deo docente percepta, nec quisquam quæ Dei sunt nouit, nisi Spiritus Dei. Deus enim est, qui efficit ut uelimus & perficiamus, ut aliqua ipsi grata fiant. Iam ut principes ciuitatem aliquam ingressuri προδρόμους & metatores præmittunt, qui hospitia præparent; ita in quocunque homine Deus habitare uult & efficax esse, eum cruce & ærumnis exercet. Habitat enim Deus cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium & cor contritorum, Esaiaë 57.

Nec uerò opus est accersere crucem, ut Eremitæ & Monachi ueteres, relictis uitæ Oeconomicae & politicae laboribus, molestias non necessarias sibiipsis attraxerunt. Tantum in studio & confessione ueræ de Deo doctrinae & diuinitus mandatis officijs nostræ uocationis in

DE STUDIO

Ecclesia, Schola, Republica, aut Oeconomia obeundis, fidelitatem praestemus. Hanc sua sponte comitantur labores, odia, contemptus, uirulentæ calumniæ, inopia, carceres, exilia, supplicia, lacerationes famæ, & in nobis ipsis dubitationes, diffidentia, curæ, metus, angores, errata & lapsus in consilijs & actionibus, sensus iræ Dei & poenarum &c. quæ amplissimam exercendæ fidei, inuocationis, patientiæ & diuinarum promissionum ac consolationum, ac totius doctrinæ cœlestis ad usum transferendæ, materiam pijs præbebunt.

Discrimen autem experientiæ Philosophicæ & Christianæ hoc in loco studiosi considerent. Nam in Philosophia, fidem seu assensionem præcedit experientia, ut prius uideo cœlū moueri circulariter, audio Carolum V. Cæsarem, die 20. Septemb; an. 1558. obiisse, sensu percipio ignē urere. Postea credo has propositiones ueras esse. Sed

Sed in Theologia inuersus ordo est. Hic enim fidem sequitur experientia: & uim ac efficaciam uerbi & promissionum ac consolationum diuinarum, ij demum experiuntur & sensu percipiunt, qui fide eas amplexi sunt, ut ad Mariam dicitur, Beata es quæ credidisti, quia fient ea, quæ dicta sunt tibi. Et 2. Paralip: 20. Credite in Domino Deo uestro & securi eritis, credite Prophetis eius & cuncta prosperè succedent. Item Esaia 7. Nisi credideritis, non permanebitis. In inuocatione petente auxilium in ærumnis, primum credere oportet inuocantem se exaudiri & à Deo diligi & iuari propter filium iuxta promissiones. Postea primum leuationem doloris & pacem ac læticiam conscientia experietur. Hæc fidei exercitia, pijs nota sint.

Quod enim proximis seculis doctrina Euangelij ferè extincta fuit, nec de hisce fidei exercitijs, & de ratione

Gerson

DE STUDIO

tione consolandi tristes & afflictas conscientias, quisquam ferè, excepto Gersone, scripsit: ea quoque una causa est, quod Episcopi & Doctores in alto ocio & pace ac opibus, expertes crucis & persecutionum uixerunt, sine quibus nec intelligi doctrina Christi & Pauli, nec alijs explicari potest.

Ac Lutherus in Galatis alicubi scribit, Nisi exercitatus esset ui & dolis Tyrannorum ac hereticorum, & in corde pauoribus & ignitis Satañæ telis: tam obscurum & ignotum sibi futurum fuisse Paulum, quam superioribus seculis toti Mundo fuit. Ideo donum prophetiæ & studium nostrum, unã cum tentationibus internis & externis aperire nobis sensum Pauli & omnium scripturarum. Nec uerò de uarietate & mole grauissimarum tentationũ, in quibus doctrinam discendo perceptam ad usum & praxin transtulit, quidquam hoc loco commemorare necesse

necesse est. Cum in omnium manibus extent, & historia uitæ ac certaminum ipsius, & in Epistolam ad Galatas, in Ionam Prophetam, in Psalmos & aliæ enarrationis, plenæ illius spiritualis & propria ipsius experientia probatæ sapientiæ, de qua certissimum σημειον τῆς εἰδότητος ὅτι τὸ δὲ ἕνα δὲ διδάσκειν.

Admonitus autem hoc sanctissimi uiri, Doctoris Lutheri consilio & exemplo, qui in præfatione primi Tomi operum suorum Germanici, scribit, sibi, ad eam doctrinæ Theologicæ, quam ipse adeptus esset, cognitionem, hæc tria potissimum Instrumenta, Orationem, Meditationem & Tentationem profuisse; dixi ordine de singulis membris copiosius. Et totam Rationem instituendi studij Theologiæ, Decem admonitionibus seu Regulis complexus sum. Quas si in discendo studiose sequentur Auditores, breuise & in uera pietate & cœlestis doctrinæ

Oratione
Meditatione
Tentatione

DE STUDIO

doctrinae eruditione plurimum sentient profecisse.

Præcipuè uero, in his studiorum initijs, duo illa, quæ Reuerendus præceptor noster D. Philippus assiduè solet discipulis inculcare Præcepta, semper in conspectu habeant, ut quotidie recitata precatatione aliquid temporis legendo ordine Textui Bibliorum tribuant. Deinde summam doctrinae, in Locis Theologicis, eruditissima Methodo, & summa orationis perspicuitate expositam, tantisper legant & relegant, donec & sententias uarias de reb. ipsis seu singulis fidei articulis, & genus orationis proprium & dilucidum aliquo modo sibi familiare reddant. Meis certè studijs, has de Textu Bibliorum et doctrinae Christianae Methodo diligenter cognoscenda, admonitiones sapientissimas, fateor magnæ utilitatis fructum præbuisse.

Itaque & pro hac discendi ratione fidelissimè monstrata, & pro pasterna

terna fide, beneuolentia, & cæteris
erga me innumerabilibus beneficijs,
uicissim me Reuerendo Præceptori
nostro, omnia grati animi officia de-
bere profiteor. Quem ego quidem
uera animi pietate & reuerentia sem-
per colui ac ueneratus sum et perpe-
tuo colam; eiquē omnia mea studia,
& si quid est, quo aliorum studijs
prodesse possum, & pleraque alia,
uitæ meæ commoda inprimis post
Deum grata semper mente & uoce,
refero accepta. Cuius meæ uolunta-
tis & perpetuæ erga Præceptorem
obseruantia & gratitudinis, uos eti-
am testes esse potestis, qui me aliquot
annis, eruditissima D. Præceptoris
scripta, Locos inprimis Theologi-
cos, & Examen, & Dialecticæ, &
Chronicon, publicè prælegentem,
addita etiam crebra & honorificen-
tissima Præceptoris mentione audi-
uistis. Quam hoc in loco, eam ob
causam repero, quod inter uos quo-
que & passim alibi, uirulentos &
falsis

DE STUDIO

falsissimos rumores spargi audio & disseminari, quibus ea mihi tribuuntur, quæ nunquam in omni uita, ne quidem in somnis, mihi in mentem uenerunt. Certè, qui primus ex hac urbe, uoces illas de tollendo aut extinguendo Præceptore, ad alios detulit & sparsit, is sceleratum & impudens figmentum sparsit. Quòd si ex uniuersa Germania unus aliquis fide dignus, se ullo unquam tempore, uoces illas ex me audiuisse, uel ad alium à me scriptas legisse, fatebitur & probabit: mea sponte atrocissima quæque cruciatuum genera me promeritum esse confiteor, & crudelissima etiam supplicia non recuso.

Sed certo scio, Nullum esse mortaliū, qui se uoces illas ex me audiuisse se uerè possit affirmare. Et ex huius unius mendacij atrocitate & impudentia, de ceteris etiam, quæ sine fine & modo quidam spargunt, iudicium sumi potest. ἢ δὲ τῶν πολλῶν διαβολή τε καὶ φθόνος, πολλοὺς τε καὶ ἄλλους καὶ ἀγαθούς

θοῦς ἄνδρας ἤρκει, οἷμαι δὲ καὶ αἰρήσῃ. οὐ
 δὲρ δὲ δεινὸν, μὴ ἐν ἐμοὶ σῆ. Ego me testis
 monio conscientiā meæ, & fiducia
 auxiliij diuini & exemplis multorum
 piorum, qui per calumniam oppressi
 sunt, sustento. Et pro mea uirili par-
 te, fideliter illam ueræ de DEO do-
 ctinæ, per Lutherum & Philippum
 instauratæ, Methodon, quæ in Locis
 Cōmunibus ex uerbo Dei extracta
 est, uelut Patrimonium Ecclesiæ &
 καλῶ πᾶσα καταθήκη retinebo: Nec ul-
 lis me calumnijs frangi patiar, ut uel
 ab eo doctrinæ corpore, uel à pietatē
 & reuerentiā Præceptorī debita
 discedam.

Filium Dei Dominum nostrum
 Iesum Christum, λόγον & Imaginem
 æterni Patris, & Doctorem Eccles-
 siæ suæ, ardentibus uotis precor, ut
 ipse nos doceat, & studia ac consilia
 nostra regat, & gubernet ad
 gloriam sui nominis &
 Ecclesiæ salu-

tem.

D I X I.

ELEGIA AD DAVI-
DEM CHYTRÆVM, LVGEN-
tem obitum carissimi Patris sui, D. Matthæi, quem
ex hac uita Deus euocauit, die 29. Ianu-
arij. Anno 1559. Scripta

A IOHANNÉ BOCERO
Poëta Laureato.

CVM Deus è fragili mortalia corpora limo,
Et nostræ faceret debile stirpis opus:
Indidit huic sacras, in mutua foedera, flammæ,
Cordaq; legitimo iussit amore frui.
Hinc amor, hinc natis caros quæ flamma parêtes
Iungit, & officijs & pietate colit.
Hinc pia cognatas iungens affectio mentes,
Ferrea mortales pectora ferre negat.
Hæc sua sidereo deducit semina cœlo,
Et plus humana conditione ualet.
Hæc docet unigenum genitor quo pectore gnatum
Et nos, quo foueat mitis amore, Deus.
Hæc amat et redamat: proprio sed sanguine natos
Prefert, & studio liberiore fouet.
Hinc subit affectus uariæ pro tempore sortis,
Qui lacrimas homini leticiasue ciet.
Ab lapis & ferrum, quem non mortalia tangunt
Fata, nec aduersus fletq; gemitq; uices.
Sunt lacrimæ rerum, flendiq; innata cupido
Emollit præsens extenuatq; malum.

Sic

E L E: I O A N: B O C E R I

Sic homines flemus, nobis qui sanguine iuncti
Vitalem fato deseruere diem.

Sic patris effuso plorare cadauera fletu,
Nos natura piū finxit in obsequium.

Sic & Thariades, Isaac sic natus ab illo,
Defleuit sancti funera mœsta senis.

Castus & Isaciden natus sic fleuit Ioseph,
Et sepelit lacrimis ossa paterna pijs.

Fleuit & Amramides patrem, Dauideq; raptō,
Non Salomon siccis dicitur esse genis.

Sic alij lacrimis perfusa fidelibus ossa,
Bustaq; clarorum composuere patrum.

TV quoq; iam merito luges, doctissime David,
Et desles cari funera mœsta patris.

Nam tibi iusta subest, & pleni causa doloris
Te prohibet lacrimas continuisse pijs.

Ille quidem canis obiit maturus in annis,
Stat tamen hoc tristis iam uiduata domus.

Auxiliumq; senis mater, fratresq; requirunt,
Et gemit & querit parua relicta soror.

Et, cui ter denis, Ecclesia, præsuit annis,
Pastoris deflet fata suprema sui.

Incusat fatumq; nocens, Parcasq; rapaces,
Hoc decus inuito surripuisse gregi.

Tu quoq; fama tui patris cum funeris index,
Huc procul Arctoæ uenit in arua plagæ,

Fudisti gemitus, lacrimas oculisq; cadentes,
Vix tersit toties uix releuata manus.

F Manibus

ELEGIA.

Manibus inferias & soluens ritè paternis,
 Care parens dixti, terq; quaterq; uale.
 Ac licet argentem mecum semotus ad Arcton,
 In patria genitor cum moreretur eras:
 Nec tibi languenti componere lumina dextra,
 Ægraq; nec licuit membra uidere patris:
 Nec poteras presens audire nouissima uerba,
 Et mandata tui ferre suprema senis:
 Extremumq; uale lacrimis dixisse profusis,
 Nec pars in pompa funeris ire pij.
 Ne tamen immenso, facunde Chytræ, dolore,
 Aut semper luctu conficiare graui.
 Est modus in lacrimis: homo ne pugnare uideri
 Possit in arbitrium iussaq; summa Dei.
 Euocat è uita nam quos dilexit acerba,
 Et secum celsi ducit in astra poli,
 Hic tuus est genitor, mixtus coetuq; uerendo
 Gaudet in ætherca cernere luce Deum.
 Hunc coram superis si uiuere posse sub auris,
 Et uita cuperes non fugiente frui.
 Hoc illi caram foret inuidisse quietem,
 Letaq; cœlestis regna recepta plage.
 Quin urnam potius uiolis & thure Sabæo,
 Letus odoratis bustaq; cinge rosis.
 Et gratare tuo, quæ uanis libera curis,
 Nunc agit æterna gaudia sorte, patri.
 Illius & sanctos mores, uitamq; probatam
 Ceu facis, hoc æui tempore, disce sequi.

Digne

I O A N. B O C E R I.

Digne senex cœlo, nam quid tua fata recensens
Egregium primo posteriusue canam?
Nam tibi curriculum quod totum finiit æuum,
Illicite fugitans impietatis erat.
Solutus adhaerebas, qui condidit omnia uerbo,
Illius obseruans dogmata sacra, Deo.
Quæ tibi de primis didicisse fideliter annis
Cura fuit, populis & memorare suis.
Nec te saluificum rabies seuißima Christum,
Compulit & miseri linquere sceptræ gregis.
Pastor at insidias contra, mundiq; furores,
Perstas inuicti firmus athleta Dei.
Et tandem placido tua claudens fata tenore,
Spe plenus, rutili scandis ad astra Poli.
Manibus ergo pijs iustos soluemus honores,
Et tua Pierides ordine facta canent.
Scilicet & rutilo nunc felix omnia cœlo
Aspicias, has Musas officiumq; probans.
Adiacet humidulis Zaberæ quæ Brackena ripis,
Paruaq; non amplis moenia tingit aquis.
Hic natale solum, primas hic luminis auras
Hausit, & imbelli uagijt ore puer.
Protinus eductus studio curaq; parentum,
Mittitur ac Musas docta Tubinga tuas.
Hic ubi continuo iuuenilia tempora lustro
Egerat, & claris artibus auctus erat.
Protinus, ut studijs ueniens maioribus ætas,
Aptaq; consilio iudicioe fuit:

ELEGIA.

Iuit ubi docto præclarus BRENTIUS ore,
 Exposuit summi dogma fidemq; Dei.
 Hic ubi Sueuiacas fumosior Hala Salinas
 Fundit, & immensa fertilitate scatet.
 Imbibit hic avido sacri mysteria uerbi,
 Et sacrum didicit Relligionis opus.
 Et modò quæ didicit, sitienti tradere uulgo,
 Dum fuit insignis cura laborq; uiri:
 Mox Ingelsingam, tantum quæ distat ab Hala,
 A Solyma quantum Bethla pusilla fuit,
 Mittitur. Hic quinos dum tractat sacra per an-
 Floruit hoc fido concio tuta duce. (nos,
 Donec ab Hesperijs discedens Carolus oris,
 Creditus est patriæ bella parare suæ.
 Digressusq; loco, quâ celsa Bononia surgit,
 Festino petijt Teutonius arua pede.
 Protinus inuasit terror, qui unq; fuerunt,
 Mentibus amplexi dogma Luthere tuum.
 Atq; Ingelsingæ præfectus, Casaris iras
 Dum timet, & seuis pondus inesse minis:
 Pastorem fidum lacero depellit ouili,
 Teq; iubet regno cedere Christe suo.
 Sed solitos Papæ ritus, Missasq; reiectas
 Præcipit in templis ritè docere suis.
 Non tulit hoc Christi miles, ritusq; nefandos
 Culpat, & hoc gemitu damnat & ore scelus.
 Iamq; relaturus sacri mysteria uerbi,
 Ascendit celeri pulpita sueta pede.

Præ

I O A N N: B O C E R I.

Præfectus, Missam, templi cum parte patentis
Abrasum iussit concelebrare uirum.

Et miseros ciues ritus spectare nocentes
Compulit, & iunxit uerba seuera minis.

Quid faceret Pastor, non hunc uiolentia ferri
Compulit, aut rigide uis inimica manus.

Sed miseratus oues seduci, perfide dixit,
Quid seris in templo falsa ueneno meo?

Hos tibi non Christus sacrorum tradidit usus,
Exhorret Missam damnat & ille tuam.

Dixerat: eduçto subito cum barbarus ense
Irruit, infanti uimq; scelusq; parat.

At pia pastorem seruauerunt numina? ciues
Præfecti diras & tenuere manus.

Pastor & illesus suggesto ductus ab alto,
Intrauit fidæ limina tuta domus.

Adfuit his turbis, facinusq; miserrima coniunx
Et caro uidit fata parata uiro.

Concidit exanimis, uicino tarda q; partu,
Vix heu uix lentis est recreata moris.

Paruus & affecta latitans genetricis in aluo,
Omnibus extinctus creditur esse puer.

Hunc quoq; propicij sed tutum numine Christi
Edidit,urgenti libera mole parens.

Et uelut hoc ipsum fecit discrimine tutum,
Clausus adhuc quando uentre parentis erat:

Sic illum reliquos uitæ seruauit in annos,
Vnius immensi prouida cura Dei.

ELEGIA.

Et nunc omnigenas Dauides ductus in artes.
 Grata Deo solum, quæ facit, esse cupit.
 Et pandens teneræ mysteria sacra iuuentæ,
 Ad cœlum monstrat nobile quâ sit iter:
 Hoc tum sed teneras labro lactante mamillas,
 Se pater inuisa mater & abdit humo.
 Deseruitq; locum, ferro quo pulsus iniquo,
 Iussus erat summum præco silere Deum.
Est locus antiquo Graiorum nomine dictus,
 Fertilior lentis uitibus, uber agris.
 Nobilium celebris domus hîc MENZINGIA floret,
 Lætâq; fœcundis frugibus arua serit.
 Illuc ascitus, capiens moderamina Pastor,
 Hoc condit cupidè tecta laremq; loco.
 Hîc senior Christum ter denos fassus in annos,
 Commissum sacri texit ouile gregis.
 Patronosq; pios Menzingo sanguine natos,
 Sensit & hic sortis flabra remissa trucis.
 Hîc illum PETRUS, præstans & fouit ERASMUS,
 Quos pia miratur patria terra duces.
 Et cùm magnanimus fatis excessit Erasmus,
 Hunc Petrus summo frater honore tulit.
Petrus Castalidum decus & tutela sororum,
 Cuius ego quali carmine facta canam.
TE mihi nam, binos, toties narrare recordor,
 O laus Pieridum digna Chytræ, uiros.
 Qui tibi post patrem grata sint mente colendi,
 Te colere Aonias quod uoluere Deas.

PETRVS
 à Menzin-
 gen.

Primus

I O A N: B O C E R I.

Primus hic est Petrus, qui te suscepit alendum,
Et studijs gratam suppeditauit opem.
Ille sua cultam te misit ab arce Tubingam,
Et iuuenem doctis iussit adesse uiris.
Hic idem doctas te misit ad Albidos undas,
Et dedit ingenio temporibusq; frui.
Salue Pierij cultor clarissime coetus,
O decus, & patrij gloria Petre soli.
Quod facis, exēplum nostro quā tempore rarū ē,
Cum nisi res nomen fastus & amplius habet.
Nec tua doctiloquum quod fouit cura Chytraeum,
Cum fructu celeres uota tulēre Noti?
Sed Deus, & coeptis fauit fortuna benignis,
Nec frustra sumtus deperiēre tuū.
Auspicijsq; tuis docto quas pectore dotes,
Abdidit, & largas quas sibi fecit opes.
Has iterum passim neglecto scenore fundit,
Et studijs orbem, Pegasidasq; iuuat.
Alter at ingenuas qui te traduxit in artes,
Demonstrans uerum qua gradereris iter.
Hic est à ucteri regnata Thuiscone tellus,
Quo uerè docto ciue beata fuit.
Ille parens Phœbi, Musarum & fama Melanthon,
Quo maior studijs nec pietate fuit.
Huic tu (quæ noui fateor, quæq; auribus hausi)
Et decus & Musæ dona beata tuæ,
Acceptumq; refers, si quem tibi fecit honorem
Pallas & Aonijs candida fama chori.

ELEGIA

Hunc quoq; ceu patrem sincera mente uereris,
 Emeritiq; probas dogmata sancta senis.
Sed nunc ad manes cineresq; reuertor amicos,
 Enumerans sancti cetera fata senis.
Hic ubi Menzingæ ter denos uixerat annos,
 Et uerum sonuit uoce fideq; Deum.
 Omnibus exemplum uitæ monstrauit honestæ,
 Ardor opum nullus, luxuriæue fuit.
At sibi commissum rectè defendere coetum
 Hoc opus, hic uigili mente resedit amor.
Verâq; simplicitas & mens innoxia fraudis,
 Partibus & pietas officiosa suis.
Illi non fictos uirtus & iunxit amicos,
 Dum cunctis facilis, comis & ore fuit.
Oppida Pastores etiam uicina colentes
 Fouit, constanti demeruitq; fide.
Hos inter puerum, qui fundamenta Cythraeum,
 Et lingua docuit balbutiente loqui:
VWOLfgangus plenis numeratur BVSIVS annis,
 Tam uir doctrina, quàm pietate ualens.
Hic tibi praeceptor primus; facunde Chytræ,
 Sentiat ingenij munera rara tui.
Atq; illi uiridi templum fabricare sub ulmo,
 Et merito soluens annua sacra uiro.
FRANCiscus nuper patrijs IRENICUS oris,
 Et decus hos inter dignaq; fama fuit.
Progenies regum, qui prisca eruit annis,
 Et cultu notas lucidiore dedit.

IOAN: BOCERI.

Tu quoq; IOANNES, senior dignissime, GALLE
Pars huius fueras officiosa chori:
Cuius saepe mihi nomen meritumq; Chytræ
(Sic memini) grata mente referre soles.
Scilicet officijs iuuenem complexus & arcto
Foedere, te studijs iuuat ubiq; suis.
Hos Flehingensis, uictoris nomine clarus,
NICOLEOS inter pars & amica fuit.
IUNIOR in numero ferturq; GEORGius isto,
Doctus & insigni uir grauitate nitens.
Nomen IOANNIS taceam, famamq; MYRICÆ,
Cui fauet aurata Delius ipse lyra.
Taleq; Pieria modulatur arundine carmen,
Quod probet argutis turba nouena modis.
Illius Aonio, domus & Sichingia, cantu
Eminet, & fama nobiliore uiget.
His ERBERmannū Petrum, doctumq; DYmarum
Iungimus, & uersu nomen habere damus.
Quidq; SIDEROcraten, pietate fideq; potentem,
Et referam placidi nomina nota senis.
Qui populi curam, Christi puppemq; labantem
Sustinet in patria, magne Philippe, tua.
Qua non maiori magni quàm laude Philippi,
Surgit uitiferis inclyta Bretta iugis.
Omnes hos meritis præstantes, laudibus omnes
Et uirtute graues & pietate bonos,
Complexus summo, dum uita manebat, amore,
Lætus amiciciae munera summa tulit.

ELEGIA

Donec ab his mundi lacrimis, serieq; malorum,
 Abstulit emeritum pallida Parca senem.
 Et nunc coelicolis mixtus sanctisq; Prophetis,
 Quae nos cunq; latent, clarius ille uidet.
 Et procul abicctis tenebris, & luce recepta.
 Praesentis fruitur cognitione Dei.
 Hic omnes Christi ueros fidosq; ministros
 Cernit, & his mistus gaudia summa capit.
AT tu Christe Deus, qui res miseratus egenas
 Das homini quidquid uita caduca petit:
 Da quoq; coelestis qui nos sic semine uerbi
 Pascat & infestos pellat, ut ille, Lupos,
 Tuq; tui patris laudes imitare Chytrae,
 Hic pia sit uita Regula duxq; tuae.
 Eius te dubio firmet constantia casu,
 Et tibi quidquid erit, det superare mali,
 Ut tua felici cedatq; uocatio sorte,
 Eius & officio nocte dieq; uaces:
 Utq; iuues teneram Musarum dote iuuentam
 Et studijs formes corda tenella pijs:
 Crebra uoce Deum precibusq; precare profusis,
 Pacatus uotis annuet ille tuis.
 Nec nimis erepti fato tabesce parentis,
 Iusta sit & lacrimis meta futura tuis.
 Hic nunc Elysij fulgens per amoena uireti,
 Te non uult lacrimis se cruciare tuis.
 Hunc mundi raptum curis, caeloq; locatum,
 Tollit ab obscura fama perennis humo.

At

I O A N: B O C E R I.

At tibi cū moriens fratres, charasq; sorores
Tradidit, & demto iura nepotis auo.
His tua dexteritas ut gratificetur amicè,
Te seruet summi cura benigna Dei.
Atq; tuam mentem doceat, linguamq; gubernet,
Ut facias summo plurima grata Deo.
Nec te lingua premat sceleratis improba nugis
Inuidiæ nimis nec moueare malis.
Perfer: in authores recident mendacia, pœnas
Cœlitus, & tandem quod meruere ferent.
Si superare nequit, lenit patientia fatum:
Despicit aduersas, aut fugat illa uices.
Fide Deo: recti probat hic penetralia cordis,
Criminis expertes & tegit ille uiros.
Et fœdare tuum, quæ falsa calumnia, nomen
Nititur, hoc tandem iudice uicta cadet.

E P I T A P H I V M R E-

V E R E N D I V I R I D. M A T-
T H Æ I C H Y T R Æ I, Pastoris Ec-
clesiæ Dei in oppido Creichgoiæ
Menzinga.

Χρισὸς αἰὶ ὄσιων κρυκῶν θεῶν ἰδι φωνῆς
συγκαλέει ὄσιων οὐρανίων ἀγέλῃ.
ῥήματα μηλοβοτῆρ ἰλεως ἀπὸ θεῶν καλύψας
ἐκ κτίσεως κόσμου εἰς τέλος ἐξοπίσω.
τῷ

ΕΡΙΤΑΡΗΝ Μ.

ἦτο μέγισον ἔφυ γέρας ὑψοθεν ἀνδράσι δαχ
 ὅτι διδασκαλίας οἶδα μερ οὐρανιας. (θέρ
 ὄλβοις ὅς χριστοῖο λάτρεις πλανόωντας ἐφ' αἰ-
 εῖς ἀξιαπὸν κρυφίης ἠγαγερ ἀξικίης: (ἡς
 ὄλβιος οὖν ΜΑΤΘΑΪΕ θεῶ καὶ ὄλβιος ἡμῖν,
 ὑμνήθης χριστὸ ζωοδότης θεράπων.
 οὐνεκ' ἀληθείῃ ἀπὸ σὺ νεότητος ὀπηδῶν,
 ἐκ κραδίης ἡμῶν γήραος εἰς πλιθ.
 πρῶτα μὲν εὐ ἔξης ἐνι σῆθεσι πίσιν ἀέξω,
 σοῖσε θεῶ ἔργοις εὐσεβέεσιν ἀδῶν.
 εἶτα δὲ δὴ ἄλλως καὶ οὐκ ἀκουητὶ δίδαξας,
 εὐπίσως ἐπέω γράμματα χρησμολόγων
 μῆλα θεῶ ἀγαγῶν χλοεράς εἰς τέμπεα πρι-
 κὰς πηγῆς ζωθέρ πίδακα ζωοφόρος. (ἡς
 εὐ ἄρα λαμπροτάτην ὀγέσοι πρέδωκερ ἀμοι
 ἦδ' ἐκ τῆς πατρικῆς κληρονόμος ἀρετῆς (βῆν
 τῶν μὲν ὁ Δαβίδης ἔσκηκερ ἐν ἴχνεσι πατρὸς
 θεωπεσίθ θνητοῖς ὠέρμα λόγοιο βαλῶν.
 νῦν δὲ σὺ (πάντα βροτῶν ὡς ἔσ' ἀμενκνὰ κά-
 φῶς τὸδε τεθνηκῶς κάλλιπες ἡελίθ (ρηνα)
 εἰς δὲ βίον καθάρων, εἴλορ εἰς αἰῶνα πρέυθης
 ἡχι Ἐ' ἀφθάρτων χαρμοσύνων μετέχης:
 πὰρ σωτήρι θεῶ σωτέρ εἴλε κήδεο χ' ἡμῶν,
 ἐλπίδα σῆς ἀρχῆς ἐν φρεσι βεῖς σαθερῆν.

I. Κασήλιος
 ἔποίησε.

ΕΡΙΤΑ=

EPITAPHIUM RE-

VERENDI VIRI, D. MAT-
thæi Chytræi, Quem, posteaquam triginta annos
puram Euangelij doctrinam in hac Eccle-

sia docuit, ad cœlestis Ecclesiæ so-

cietatem Deus euocavit, Anno

1559. die 29. Iu-

nuarij.

Qui te sincero coluit MATthæus amore,
Qui sparsit uerbi semina Christe, tui.
Qui tecum crebris optavit uiuere uotis,
Ardenti coluit qui tua iussa fide,
Letus in excelsis iam maxima gaudia cœlo
Sentit, & angelico gaudat inesse choro.
Iam placuisse suos tibi gaudet Christe labores,
Discit & in gremio multa stupenda tuo.
Iam cur non aliter roseo quàm sanguine Christi,
Possint placari crimina nostra uidet.
Aspicit & præsens, quàm miro fœdere Christus,
Sit Deus & pariter crimine purus homo.
Atq; Deum coràm trinum iam cernit & unum,
Illius & laudes uoce sonante canit.
Deniq; iam felix omniq; ex parte beatus,
Forti mundanas pectore spernit opes.
Atq; tuo fruitur conspectu maxime Paule,
Gaudet & alloquio diue Luthere tuo.
Viuus enim ueræ curam pietatis habebat,
Et custos puræ religionis erat.

Et

EPITAPHIUM

Et sibi commissum ter denos pastor in annos,
Constanter sanctum rexit ouile Dei,
Egit & excubias ne perfida turba luporum,
Inferrent caro noxia damna gregi,
Quatuor & natas, natos totidemq; reliquit,
In uera erudijt quos pietate pater.
Officij tandem cum munera iusta subiret,
Quod gratum summo nouerat esse Deo.
Emeritus uitæ supremam finiit horam,
Seq; pia iustum credidit esse fide.
Eius in hoc tumulto modo corporis ossa quiescunt,
Mens capit in summo gaudia uera polo.
Hæc igitur quicumq; uides monumenta precare,
Ut recubent patris molliter ossa mei.

Patri carissimo

Nathan Chytræus. F. F.

EPITAPHIUM NOBILIS

LIS DOMINÆ MARGARITÆ,

coniugis uiri nobilis Petri à Menzingen, euoca=
te ex hac uita, die 25. Ianuarij. An=
no 1550.

Quamuis uita, Dei mortali in corpore donū ē,
Nostraq; diuina membra fouentur ope:
Doctrinæ discamus ut hîc exordia summæ,
De uera æterni cognitione Dei:

Oppressa

E P I T A P H I V M.


Oppressa est tamen hac ingenti mole malorum,
Debilis & nunquam uita dolore caret.
Non hic certa quies, non gaudia uera parantur,
Gaudia uenturae sola relicta scholae.
Felices igitur uerè, uereq; Beati,
In Dominno uitam, qui posuere suam.
Vulneribusq; tuis confisi Christe redemptor,
Expectant uita gaudia magna noua.
Sic MENZingiaci coniunx est mortua Petri,
In Gemmingensi MARGaris orta domo.
Semina doctrinae cupidis hic auribus hausit,
A summa ueniens quam tulit arce Deus.
Puram Euangelij uocem nec fracta reliquit,
Horrendis quanquam sollicitata minis,
Iustificaq; fide coluit te maxime Christe,
Et casti mores, mensq; pudica fuit.
Pectore sincero carum complexa maritum
Seruabat socij foedera casta thori.
Sex peperit natos socialis pignora lecti
Est bis foeminea factaq; prole parens.
Munificis manibus semper releuabat egenos,
Consilio miseris saepe ferebat opem.
Saepe aderat grauidis nuribus, partuq; leuatis
Præbuit ut nutrix officiosa dapes.
Ingenuas artes generosa mente fouebat,
CHYTRÆVSq; ipsi gratus alumnus erat.
Ac postquam in terris uitæ iam stamina rumpi
Agnouit, partus uicta labore graui.

Commen


EPITAPHIVM.

*Commendans animam tibi Christe, exordia uitæ
Hausit non dubia spēs; fidēq; nouæ.
Mens igitur patriæ fruitur cœlestis honore,
Hoc tantum tegitur corpus inane solo.*


F
I N I
S.











427
K, 7

AB. 42 7
K, 7

ULB Halle

3

003 615 898



56. 





DE STUDIO

THEOLOGICÆ RE

Etè inchoando,

DAVID CHY.

TRÆVS.



VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO. M. D. LXII.

